



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

Covarrubias y Leyva, Diego de

Antverpiae, 1610

[Ad Philippvm Magnvm, Evndemqve Cristianissimvm Hispaniarvm, Angliæ,
Franciæ, Neapolis, Ac Siciliæ Regem, Bvrgvndiæ, Brabantiae, Et Mediolani
Dvcem, Flandriae Comitem, Didaci Couarruuias à Leyna, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

A D

PHILIPPVM MAGNVM,
EVNDEMQUE CRISTIANISSIMVM
HISPANARVM, ANGLIÆ, FRANCIÆ,
NEAPOLIS, AC SICILIÆ REGEM, BVRGVNDIÆ, BRA-
BANTIAE, ET MEDIOLANI DVCEM, FLANDRIAE COMITEM,

*Didaci Couarruuias à Leyua, Archiepiscopi S. Dominici designati, in
Prædicarum Questionum Librum vnum,*

P R Æ F A T I O.

SVMMA cuiusque Reipublicæ felicitas est, Philippe Rex Christianissime, eum sibi diuino munere obtinuisse rectorem, ac Principem, qui ciuilibus, ac militaribus magistratibus constituendis eam operam det, quæ communitatis regimini, eiusque tutelæ ad bene beateque viuendum sit omnino salutaris. Sic sane recte, & feliciter Rempublicam administrabit, qui vigilantissime eam ab iniustitiæ tyrannide, atque ab hostibus immanissimis tutissimam constituerit, hoc & ipsum effecerit, vt imperio dignus iudicetur, non tantum Reipublicæ statu, sed virtutis, & animi erga subditos excellentia: quippe qui subditorum singulis præstet communi pro omnibus cura & sollicita pro vniuersa Reipublica gubernatione. Prima equidem pars, quam optimo Principi necessariam esse censemus, ad iustitiam pertinet, & æquitatis disciplinam: in cuius exercitatione quietus, ac tranquillus beate vitæ status conquiescit. Eandem etenim omnibus magistratibus, quibus Totius Reipublicæ salus continetur, imperandi rationem præscribit quam necesse est, vt omnes Principes sequantur, qui suos stabilire & confirmare principatus volunt. Hinc denique fit, Princeps Maxime, vt facilius domesticis, & ciuilibus, tandem exteris, ac publicis hostibus resistere valeat Respublica illa, quæ ab optimo rectore, iustitiæ cultu, moribus integerrimis, æquitatis ratione, quiete & tranquille fuerit instituta. Tuta quidem est conditio subiectorum, vbi viuunt sub æquitate regnantium, cum & Principis opinionem longe lateque disseminet eidem custodita securitas. Quod si rem istam paulo altius examinare velimus ex Christianæ Reipublicæ legibus, à Deo optimo Maximo, Iesu, proprio sanguine in humani generis salutem conscriptis, illud plane fateri cogemur, omnes cuiusque optimi Principis conatus in hoc esse pie, ac religiose constituendos, vt eam quietem & tranquillitatem Respublica consequatur, quæ spiritualem illi salutem conferat, ad cuiusque hominis æternam & cælestem illam beatitudinem, ad quam supra omnem naturam à Deo diuina prouidentia creatus est. Hoc nomine, inclyte Rex, multis æquum est gratulari regnis, gentibus & prouinciis, quibus hæreditario gentilitiæ familiæ titulo, populorum omnium applausu post felicem Caroli Cæsaris principatum, maxima parentis laude, qui talem te educauerit, primogenitus eius filius & hæres, patriæ verus Pater, & Princeps designatus eras. Nunc vero eisdem regnis, gentibus & prouinciis ab ipso inuidissimo Carolo præ eius animi magnitudine, tibi traditis principatus legitimis iuribus Rex constitutus censeris. Vicaria namque patris potestate apud Hispanos hucusque ita quidem usus es, vt clementissimi ac vigilantissimi Patris zelum iustitiæ, pietatem & religionis Christianæ cultum maximopere fueris imitatus. Verum Anglica Reipublica vere, & ex animo exultantes, qui Euangelicam legem profiteamur, gratulari quidem possumus: quippe cui ex Christianissimæ Mariæ eius gentis Reginæ coniugis tibi dilectissimæ sacrosancto coniugio illud diuina sorte obtigerit, quod te Regem, patronum, & protectorem habuerit, in tanta eius regni calamitate; in summo rerum periculo dictatorem electum, vnicū veluti refugium, præsidiumque ad arcendos ab ea Reipublica communis humano generi immanissimi hostis conatus, Satana duce atrocissimo ita instructos, vt non aliter, quam Deus è machina, (quod aiunt,) assistente tibi, & in omnibus benignissime cooperante Optimo, Maximoque Deo,

K k k

qui

qui adiutor est fortis, & in se sperantes non derelinquit, salutem spirituali tantæ Reipublicæ, iamdiu à dæmone oppressæ, quam citissime prospexeris: quasi votum illud Davidicū vna cum desponsione Serenissimæ coniugis emiseris. Etenim sicut iuravit Domino votum vobis: Si dederō somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, Et requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Nimirum in tanto rerum & negotiorum conflictu nihil sanctius esse duxisti, quam statim, neglectis itidem tot deliciis, & voluptatibus, quæ regios animos à iusto auocare solent, in tali regno, clarissimæ Reginæ votis consentiens, tabernaculum Deo Iacob constanti animo constituere, Christianam fidem, & religionem maximo totius Christiani orbis dispendio restituere, Christianam repudiatam, eidem Reipublicæ augustissimo, & vere diuino conatu restituentem. Julius Cæsar primus ille Romanorum Imperator, post deuictum Pharnacem hæc tria verba ad amicos scripserat: veni, vidi, & vici. Hæc eadem Romæ Pontico triumpho inter pompæ ferula titulum postea prætulit, non acta belli significantia; sicut cæteris, sed celeriter confecti notam. Tuæ vero Maiestati huius Catholici triumpho ferulam feliciter confectam significantia non alia verba proferant oportet, quam illa tria Psalms admirabilis: Dominus illuminatio mea. Soluisti enim, Magne Philippe, auram S. Spiritus ex Hispania, & Angliam apertus vidisti publicam illius amplissimi regni, imo Christianæ Reipublicæ calamitatem, vicistiquæ eius auctorem statim: vt iure optimo, si tibi Ethnicorum superbi & arrogantes post tot aduersus Christiani nominis publicos hostes ab Hispaniarum Catholicis Regibus Austriaca, & Hapsburgensium Principum familia, Belgica domo, parente inuictissimo Carolo edita facinora, totque triumphales titulos nouus hic tibi decretus triumphus cum præclarissimus, tum Ecclesiæ Catholice, eiusque summo præsul, & Christi vicario quam gratissimus. Grauius equidem ac moleste ferebat Christiana Respublica, regnum illusterrimum, totque annis, Catholicis eius institutis, tot Martyrum, tot sanctorum virorum testimonio impensissime addictum, nuper ab eadem maximo cum dolore, & commiseratione segregatum fuisse. Venerat olim in Britanniam, quæ nunc Anglia est, Ioseph ille, qui teste Matthæo Euangelista, ab Arimathæa ciuitate oriundus Christi corpus sepeliuerat: atque in eo loco tam ipse, quam eius socii, cum de Euangelio prædicarent, dogma Christi sedulo docerent, multi per hæc ad veram pietatem traducti, salutiferaque fruge imbuti baptizati sunt. isti deinde viri diuino spiritu afflati cum à Rege Aruirago parum terræ ad habitandum proxime Welliam oppidum circiter millia passuum quatuor domo accepissent: ibi nouæ religionis prima iecerunt fundamenta, vbi hodie est templum magnificum, cœnobiumque monasticæ familiæ Diui Benedicti nobile: nomen est Glasconia. Hæc Christianæ pietatis in Britannia exitere primordia: quam deinde cum Lucius Rex prope extinctam fonte Baptismi sublatus mirabiliter adauxisset, demum Britanni eam pietatem eatenus integram seruarunt, quoad furor Diocletiani dira in Christianos persecutione prope ad internecionem erupit. Paulo post in ea Insula Christiana religio multis bellorum tumultibus perturbata, frequenter varia vndique consequitur interualla: donec Angliam eam prouinciam occupantibus Diuus Gregorius summus Ecclesiæ Pontifex prope annum sexcentimum à Christi Natalibus sub Ethelberto, & eius vxore Christianissima Bertha, missis ad id negotium Augustino & Mileto monachis, religionis Christianæ dogmata conatu maximo Anglorum gentem edocendam, hortatu & prædicatione illustrandam curauit. Hanc illustrem Catholicæ fidei Anglorum professionem hoc seculo aliquot annis interruptam, tu quidem primus huius nominis apud eam gentem Rex PHILIPPE Magne, in idem regnum nutu dilectissimæ coniugis restituiti, vt denique tuum hoc primum, in Anglica Republica nomen insigni edito facinore ita illustrares, sicut & primus ex Romanis Imperatoribus M. Iulius Philippus Cæsaream dignitatem sacro baptismatis lauaero olim illustrauit. Habuit sane Anglia eo tempore, quo Britanni illam obtinebant, ex Britannorum gente Diuam Helenam Coylli cuiusdam Reguli filiam, Magni Constantini matrem, quæ singulari pietate prædita Crucem Domini sub spurcissimo Veneris simulacro Hierosolymis latentem, ab eaque maxima cura & sollicitudine repertam Christianis adorandam exhibuit, eiusque partem, vt Historici quidam testantur, altera Hierosoly-

mis parte relicta, Romam secum attulit, eamque gemmis, & auro distinctam in Æde Sanctæ Crucis Sessoriano in theatro constructa collocavit. Habuit & Diuam Vrulam cum vdecim millium virginum sôdalitio, filiam equidem Dionati Cornubiæ Reguli. Habet nunc Mariam coniugem tuam, & animi constantia, pio in Christianam religionem affectu, inter tot apud Anglos aduersus fidem Catholicam tumultus, acerrimasque communis humani generis insidiatores incurssiones illusterrimam. Cuius & tuę Maieſtatis laudes eloquentissimorum virorum panegyricas orationes dignissime postulantes, me ipsum tantæ rei magnitudine deterritum, huius conatus vltiori progressu abstinere pluribus compellunt rationibus: quibus tamen minime auertar, quin publicæ lætitiæ causa gratulaturus tibi, Rex potentissime, Practicarum Quæstionum librum vnum in hac Granatensi curia, post variarum resolutionum Libros, post alias in publicum editas relectiones continuo labore, & indefesso elaboratum tuæ Maieſtati offeram audacter, tuam admirabilem considerans cum erga omnes clementiam, tum vero in ministros huius publici muneris, cui operam ipse octo ferme annis dederim, singularem humanitatem. Cogor tamen opus istud breuius, quam ab initio animo conceperam abſoluere, quod Cæsarex Maieſtatis iussu, & maximo in me beneficio, te dubio procul auctore, in Hispaniolam insulam Deo auxiliante sim profecturus, quo illic Archiepiscopi munere & officio fungar. Suscipe igitur, Princeps maxime, hilario vultu, equoque animo opus istud ea qua potuimus diligentia editum, vt tuis auspiciis tutius inter tot hominum manus verſetur. Vale felicissime, E tua Granata, Mense Aprili, Anno à Christo nato M. D. LVI.

SVMMA CAPITVM HVIVS OPERIS.

- T**OTA ciuili Castellane Reipublice potestas, & Iurisdictio, qua ratione penes ipsam Regem sit? Caput 1.
Iurisdictio alicuius Castri à Principe concessa, an in novos incolas, & in eiusdem oppidi augmento exerceri possit? Caput 2.
Quanam ratione sit intelligenda Donationis, Concessionis, aut Venditionis dispositio ad mensuræ modum concepta? Caput 3.
De summa Regis iurisdictione, quam Maioriam dicimus, quamque Regio nomine suprema exercent auditoria. Caput 4.
De iure ac privilegio Renocandi domum. Caput 5.
De his, qui pro iure exigendo possunt alios ad curiam Regis Vocare, quo ad primam causarum cognitionem. Caput 6.
De Vidua privilegium habente trahendi, & vocandi Reum ad curiam Principis, quando eo non possit? Caput 7.
Clericus heres laici, an possit ad secularè tribunal pro hereditatis rebus & iuribus vocari. Caput 8.
De causarum Anocatione, & earum retentione, qua ad curiam quandoque fit. Caput 9.
De Mandatis Regis ad executionem, & obseruationem literarum, qua vulgo Requisitorie dicuntur. Caput 10.
Rursus agitur de eiusdem literis requisitoriis: porrosum ad criminum punitionem. Caput 11.
De Reuisione hereditatis expenditur Pauli Iurisconsulti locus forensis executioni maxime commodus. Caput 12.
Quid sit precipue obseruandum, vbi qui nondum litigauit, Litis, & causa examini sese offerat, quem Tertium appositorem dicimus? Caput 13.
Rursus de eadem re, ac Tertius oppositoribus, quoniam modo sint admittendi? Caput 14.
De illo, qui à sententiâ inter alios lata appellat, quia eius Interfit. Caput 15.
De Tertio, qui vult executionem sententiæ inter alios lata impedire. Caput 16.
De illo interdicto, quod Practici apud Hispanos, Interim, appellat. Caput 17.
De reſcribibus traduntur aliquot, qua præ oculis habere debent iudices. Caput 18.
De instrumentorum fide traduntur multa, qua cum Practicis, tum Theoricis etiam fortasse conducibilia. Caput 19.
Rursus de auctoritate publici instrumenti, qua oritur ex his, qua vt solentia ei accedere debent. Caput 20.
De publica fide instrumentorum, qua non originalia, sed exemplaria sunt. Caput 21.
De fide, & auctoritate priuata scriptura. Caput 22.
Appellatione pendente mouata, qua ratione per iudicem appellationes reuocentur? Caput 23.
Rursus de reuocatione Attentatorum tractantur multa. Caput 24.
Quandò Nullitatis obſectio impedit sententiæ executionem præſertim eius, qua vel tertia est, ac ceteris conformis, vel in infantia reuisionis lata. Caput 25.
De Recusationih iudicum eorum præſertim, qui ab ipso Rege in hoc munus eliguntur, vt in eius summis pratoris ius vnicuique reddant. Caput 26.
De expensis, & earum condemnatione hoc in cap. traduntur multa. Cap. 27.
De his rebus, qua in Dotem dantur estimata. Caput 28.
De Creditore privilegium habente an possit agere ad pecuniam solutam posteriori creditori, qui eam consumpsit? Caput 29.
Quanam ratione Practici vtantur in remittenda colonis pensione Sterilitatis causa. Caput 30.
De Seculari & Laica iurisdictione in eos clericos, qui prima tantum tonsura sunt insigniti. Caput 31.
Rursus agitur de clericis prima tonsura, qui nondum matrimonium contraxerunt. Caput 32.
Agitur item de iurisdictione seculari quo ad clericos: præſertim ad breuem interpretatione cap. si iudex laicus. de sent. excomm. lib. 6. Caput. 33.
Inquiritur adhuc, an quandoque possit à laicis declinari Forum secularè in criminibus puniendis? Caput. 34.
De rebus & negotiis Ecclesiasticis, qua solent apud huius regni pratoria frequenter examinari? Caput 35.
De iure patronatus laicorum ad differentiam iuris patronatus Ecclesiastici, & vtriusque derogationem. Caput 36.
De Pascuis, & iure pascenti, tam legè iuris communis, quam ratione seruitutis constituta. Caput 37.
Quo ordine agnatio, vel familia sit admittenda ad ea bona que vel ex fideicommissio, vel primogenio familia, vel agnationi deferuntur. Caput 38.